

« est verbum Dei, quod quando audis, aut quando legis, manducas: quando jam recogitas, rumi- « nas. » S. Ambrosius considerans quod populus Hebræus a mane usque ad vesperam Moysi assistens, eum attentis auribus auscultavit: « Assistebat « Moysi a mane usque ad vesperam, » ad nos Christianos conversus, nostram reprehendit pigritiam, dicens: « Moyses magistro usus est populus « Judeorum quotidie in sermonibus suis, a mane « usque ad vesperam, tu Christiane dormis, cui « magister est Christus? » In eodem Exodi libro, xx, 30, habemus, Moysi præceptum fuisse: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; cum igitur verissimum sit illud S. Pauli axioma: *Omnia in figura contingebant illis*, hoc utique præceptum figura quædam fuit illius, quod in Ecclesia sua fieri postulabat, nimirum ut Sacerdotes quotidie et continuo preparati essent, ad frangendum fidelibus quotidianum divini verbi panem. Unde Venerabilis Beda in hujus textus

expositione, de illis scribit: « Cunctis Ecclesiam « intrantibus, refectionem verbi celestis offerunt, « qui recte propositionis panes vocantur, quia in « propatulo semper esse debet universis sermo « salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet « piis auditoribus verbum solati. » Baronius in tomo primo Annalium Ecclesiasticorum, de illis congregationibus loquens, quas primitivi fideles, secundum formam ab Apostolo in Epistola ad Corinthios præscriptam instituebant, declarat quod opera S. Philippi Nerii et instituti ab ipso fundati, optimus ille et salutaris usus Romæ introductus fuerit, quo verbum divinum quotidie cum insigni fructu et utilitate animarum annuntiatur, dum ad mediæ horæ spatium lectio quædam spiritualis præmittitur, et post hanc quatuor discursus instituuntur, quorum quilibet etiam ad mediæ horam pariter extenditur, idque cum maximo et continuo auditorum profectu.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. XVIII, VERS. 9

9. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Phariseus, et alter Publicanus.

11. Phariseus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.

VERSUS 9.

Dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

Dixit ad quosdam.

1. — Albertus Magnus modum considerat, quo horum, ad quos parabola ista dirigebatur a Christo mentio facta fuerit: « Ad quosdam nomine indignos, propter malum meritum ipsorum. *Psal. xv, « 4: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. »*

2. — Salmeron Christum illos prudenter et ex singulari charitate non nominasse dicit: « Prudentie fuit, neminem in singulari notare, fugienda « est enim fratris infamia. » Nullus ex malignis perversisque Phariseis in Evangelio speciatim no-

minatus fuisse reperitur, bene autem nomen proprium exprimebatur, quando de aliquo ex melioribus mentio incidebat, ut videre est in Nicodemo, Simone leproso, et aliis similibus.

Qui in se confidebant tanquam justi.

3. — Arias legit: « Ad quosdam persuasus in « seipsis, quod essent justi. » S. Bonaventura ait: « Tunc confidit in se quis tanquam justus, quando « se justum reputat ex suis operibus. »

4. — Salmeron notat quod hæc confidentia, quam de nobismetipsis concepimus, nos ut plurimum fallat et decipiat: « Experientia teste, » inquit, « a nullo magis homo, neque frequentius, « neque forte periculosius decipitur, quam a « seipso; » atque hinc est quod, ut idem Auctor

notat, S. Chrysostomus librum illum scripserit, cujus titulus sive inscriptio est: *Nemo laeditur nisi a seipso.*

5. — Theophylactus ad hoc se reflectit, quod quia superbia inter cunctas alias passiones majorem in humana corda tyrannidem exercet, ideo Salvator noster haud immerito eandem præ cæteris ab iisdem cordibus profligare contendat: « Est « autem superbia Dei contemptus; quoties enim « aliquis non Deo sed sibi describit bona quæ facit, « quid est aliud quam Dei negatio? » Contra illos igitur, qui in seipsis confidunt, opera sua non Deo, sed sibi ipsis attribuendo, et insuper proximos suos contemnendo, hanc parabolam proponit, « ostendens, quod quamvis justitia approximet Deo, si « tamen assumat superbiam, ad infimum dejicit « hominem. »

6. — Considerabilis est hoc loco dictio illa, *tanquam*, quia ut Hugo Cardinalis observat: « Non « erant vere justi cum nullam haberent justitiam, « quia non habebant humilitatem, sine qua nihil « placet Deo. »

7. — Eternæ et primæ Veritatis propositio est, quod *nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit, nisi desuper revelationem habuerit.* Imo S. Paulus a Deo, qui mentiri nequit, habebat indubitatam prædestinationis suæ promissionem, *Act. Ap., ix, 15: Vas electionis est mihi iste*; idemque jam ad tertium usque cælum raptus fuerat, ubi, secundum quod scholæ asserunt, oculos suos in divinam essentiam ei deligere licuit, per modum transeuntis, et tamen præ timore nimio lotus contremisebat; unde dicit: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne reprobus efficiar.* Non quidem sua ipsum mordebat conscientia: *Nihil mihi consetus sum*; et tamen hoc non obstante, prolium subungebat: *Sed non in hoc justificatus sum.* Quamnam putas, ex mente S. Gregorii, esse differentiam inter eos, qui sub signis militaribus militant, et alios qui sub vexillo crucis apud Deum sua merentur stipendia? Hæc nimirum, quia milites nullo timore anguntur, at vero Christianis semper de suis viribus diffidendum est: *In timore Domini*, inquit Sapiens, *fiducia fortitudinis*, Petrus qui Christum non hominis tantum, sed etiam Dei Filium esse confessurus fuerat; eundem postea sæpius turpiter et proterve negavit, protestandoque dixit: *Non novi hominem*; cujus quidem præcipitii causa fuit, quia sibi ipsi nimium confidebat, adeo ut in sui comparatione suos aspernaretur alios coepistolos. Unde S. Ambrosius ait: « Lapsus est, quia dixit: *Etsi omnes scandalizati « fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Quis « alius jure de se presumat? » Theophylactus quoque ait: « Ideo permisit illum Christus, cadere, « ut doceat, ne quis in seipso confidat, sed in « Deo. » Et quia ter se suum securum esse Magistrum temere jactavit, seque quovis alio eidem

fideliorum futuram esse stulte promisit, Deus juste ipsum non semel tantum, sed trina voce negare permisit, in poenam trium errorum quos commisit, tum nimium sibi ipsi confidendo et promittendo, tum aliis se præferendo, illosque contemnendo, tum Christo fidem adhibere renuendo.

8. — Mundi hujus innavigans mari Scyllam inter et Charybdin pertransire debet, si portam attingere desiderat; per medias diffidentie et confidentie angustias transiliat, necessum est, si enim in alterutram, quæcumque demum, partem declinaverit, naufragium patitur. Unde Tertullianus, *lib. de cultu feminae*, inquit: « Qui presumit, minus veretur, « minus præcavet, plus pericillatur, timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum « timoris; utique ergo, si speremus nos posse de- « linquere; sperando enim timemus, timendo « cavebimus, cavendo salvi erimus. » Considerandum est, sed non inutiliter; diffidendum est, ad iterum certos inter limites; dum plus nimio diffidit Cain, in desperationem incidit, dicens, *Gen., iv, 13: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Talem Phariseus ille de se, deque suis meritis præsumptionem habebat, ut crederet cælum se capite contingere, dum pedibus esset in inferno.

Et aspernabantur cæteros.

9. — Arias legit: *Nihil facientes cæteros.* Dionysius Carthusianus ex hoc Phariseorum, quo reliquos omnes aspernabantur contemptu, falsas minusque solidas eorum deducit fuisse virtutes, inquit: « Denique ipsa eorum aspernatio ostendit « quod vere justi non erant. » Pro cujus confirmatione S. Gregorii adducit auctoritatem, dicentis: « Vera justitia compassionem habet, falsa dedit « nationem; quantumvis et justi soleant recte « peccatoribus dignari; sed aliud est quod agitur « typo superbie, aliud quod zelo disciplinæ. »

10. — Minatur Spiritus Sanctus, per os Isaie Prophete, condignam contemptoribus hisce poenam, nimirum: *Væ qui spernis, novæ et ipse sperneris? cum fatigatus desideris contemnere, contemneris.* Quorum mores fusius porro idem prosequitur Carthusianus, discursu sequenti: « Nec in vero spirituales « vitæ fundamentum se figunt, sed religiosiores cupiunt apparere, et cum carnales sint, spirituales « se arbitrantur. » De quibus proinde loqui voluisse existimat sanctum Apostolum Judam, in illo Epistolæ suæ textu: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

11. — Quemadmodum nulla est infirmitas corporalis, quæ ita affligit unum, quin non etiam quemcumque possit invadere alium, utpote qui omnes ex una eademque fragili et corruptibili compingitur massa, ita pariter nulla datur animæ alicujus macula talis, quam non possit quemcumque contrahere alia, et de facto contractura

sit, nisi Deus speciali auxilio et gratia sua tum assistat tum præservet. Nullus omnino a nobis despicendus est, maxime in rebus spiritum concernentibus; non solum quia virtutis, amoris aut gratiæ divinæ, in proximi anima latentis, thesaurus absconditus est ab oculis nostris, sed etiam, quia anima Deus operari velit. Contingit quandoque, quod domum quis intret sculptoris, vidensque projectum in terra saxum aut lignum parvum, credat, illud igni destinatum esse, ut comburatur, sed longe aberrat, de uno namque formabitur crucifixus, de altero vero statua, verbi gratia S. Francisci. Ita pariter potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Luc., iii, 8. Si quis nostrum ambo filios in prætorio Pilati vidisset latrones, qui cum Christo crucifixi sunt, quis credidisset unquam, quod alteruter illorum præ S. Joanne Baptista, præ S. Petro, præ dilecto discipulo, imo præ ipsa sanctissima Virgine et Matre Dei, introitum habiturus esset in Paradisum, juxta illam æternæ veritatis vocem, Luc., xxiii, 43: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quando filius Bernardoni exercebat mercaturam, cumque coætaneis suis ad libitum divagabatur, quis talem in eo presumpsisset exitum, qualem tandem omnipotentia et sapientia divina mediante, nactus est. Non contemplerur sublimem in equo Apostolum, quando erat *adhuc spirans inanem et cæcis, in discipulos Domini*; sed miremur prostratum in terra, et dicentem: *Domine, quid me vis facere?*

12. — Erant equidem familiaria S. Philippo Nerio verba ista: « Spernere mundum, spernere « nullum, spernere seipsum, spernere se sperni. » Sed immediate iis subiungere solebat: *Hæc sunt dona superni.*

13. — Ut bonorum a nobis factorum operum merita tuta conservemus, non ea magni faciamus necessum est, quia *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus.* Luc., xvii, 10. Proximos nostros, et in meritis, et in amicitia divina superiores nobis reputare debemus. Unde optime nos admonet S. Gregorius, lib. XIX mor., c. xvii, verbis sequentibus: « Perit omne, « quod agitur, si non sollicite in humilitate custo- « ditur. »

Parabolam istam.

14. — Hæc verba Albertus Magnus ita interpretatur: « Hoc est, similitudinariam historiam, et « tamen sæpe verum facit in rei veritate. » Eusdem pariter opinionis fuit Lucas Brugensis, scilicet potuisse hunc casum vere contingisse. Unde ait: « Respondeo, facile fieri potuisse, fuisse rem gestam Jesu cognitam, ea qua omnia nosset scientia. »

Additio.

a. — Dixit ad quosdam, qui in se confidebant

*tanquam just, et aspersionem ceteros. Nempe ad Phariseos sen de cæta Phariseorum, qui se justos reputabant, et in justitia sua multum confidebant, et hoc quidem male. Deus enim simul misericors et justus considerandus est, ac propterea semper in timore et spe, ambulare debemus. Ecclesiasticus, v, 6, sollicite nos admonens, ait: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur; misericordia enim et ira ab illo cito prociuant, et in peccatores respicit ira illius. Ubi ecce invicem sibi unitas societasque inseparabiliter misericordiam et justitiam. Qui textus cum illo Psalmi lxi, 15, concordat, dicentis: Semel locutus est Deus: Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua. Ubi adverbium semel, idem sonat, quod immutabiliter. Et Genebrardus, pro verbis illis potestas Dei est, legit potestatem justitiæ. Hoc igitur loquendi modo Psalmista se per os æternæ et infallibilis Veritatis audivisse affirmat, justitiam atque misericordiam Dei sibi invicem vicinas patescere esse. Quem proinde textum Iansenius ita exponit: « Verum « quidem est misericordiam Dei non difficilem se « præbere hominibus, sed cito eam advenire illis « ab ipso; sed simul etiam verum est, iram ab illo « festinare, eaque a Deo missa respicit ad peccatores, atque super eos quiescit, perficiens quod « jussa est, ac proinde ad illos non pertinet misericordia, sed tantum ad justitiam studiosos. Peccatores enim hic vocat eos qui in peccatis suis « animo sunt obfirmati, quos frustra significat de « Dei misericordia presumere, cum ad tales non « misericordia sed gravissima Dei vindicta pertinet. » Unde idem Ecclesiasticus eos qui temerarie ut ne peccatis perseverent, de Dei longanimitate confidunt, ab errore revocaturus, postquam justitiam individuam esse docuisset Dei misericordie sociam, hæc minitabunda subjicit verba: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* S. Augustinus, gregem suum, ne de Dei patientia atque tolerantia presumptuosus, in peccatis persisteret, ita admonet: « Quantumvis « multum presumere debeamus de misericordia « Dei, non tamen negligenter debemus timere justitiam ejus, cum justitia enim te judicabit, qui « cum misericordia te redemit. Nam quod tam « longo tempore peccamus et parit, non est negligentia, sed patientia; non ille potentiam perdit, sed nos ad penitentiam reservavit. Tenemus « ergo justitiam, cujus misericordiam desideramus. » Quam eandem doctrinam S. Augustinus in Psalmi xxxix commentario repetit, dum ait: « Non sic est Deus misericors, ut injustus sit; nec « sic justus ut et misericors non sit. Parvane misericordia tibi est? Non imputabit priora omnia; « male vixisti usque in hodiernum diem? adhuc*

« visis: bene vive hodie. Misericordia itaque Dei « non in peccatorum nostrorum continuatione, sed « male vite nostræ emendatione fruemur. »

VERSUS 10.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Phariseus, et alter Publicanus.

Duo homines.

1. — Bene considerando eam, quæ inter duos hosce intercedit disparitas, videmus utique, non potuisse majorem inter eos dari inæqualitatem: alter namque tantam præseferbat perfectionem, quasi jam ipsam sanctitatis eminentiam attingisset; alter vero tam se impium esse protestabatur, ut nec supercilia sua sursum elevare audeat: nihilominus totum id, quod in Phariseo eminebat, vitium erat, et e contra, quidquid apparebat in Publicano defectus, vera et summa virtus erat. Ecce quam facile decipiatur; bonitas namque et malitia operis, in intentione et fine operantis, quem nos non videmus, non vero in apparentia externa consistit. »

Ascenderunt.

2. — Hugo Cardinalis tradit, quod « septem « erant gradus, per quos ascendebatur in templum, « Ezech., iv, per quos significantur septem dona « Spiritus Sancti. » Templum porro, ut Lyranus observat, in alto monte situatum erat.

3. — Albertus Magnus inquit: « Oratio, ut dicit « Damascenus, est ascensus intellectus in Deum, et « ideo omnem orationem oportet ascendere. »

In templum, ut orarent.

4. — S. Bonaventura, utriusque hujus in templum ascendentis finem, bonum dignumque laude fuisse advertit, inquit: « Ad hoc enim debemus « in templum condescendere, ut oremus. » Citatque pro confirmatione sui, S. Augustini sententiam, dicentis: « Nemo in oratorio aliquid agat, nisi « illud, ad quod factum est, unde et nomen accepit. « Propterea Dominus eos, qui in templo non orabant, sed merebantur, eiecit non sine asperitate « verborum. » Eandem in præsentii nobis doctrinam tradit Salmeron, scilicet quod Ecclesiam, orandi gratia frequentare debeamus: « Non ad « negotia, vel ad pompæ ostentationem, ad aspectus vel obscenos et lascivos, ut plerique faciunt. » Quando judicabimur de peccatis nostris, quibus loca sacra contaminavimus, hi nobis duo obijciuntur, Phariseus scilicet et Publicanus, licet enim ille admodum impius, hic vero usque ad ollum immersus esset negotiationibus et commerciis, uterque tamen uno eodemque fine Ecclesiam adiit, scilicet ut orarent; ad confusionem Sacerdotum, quibus in faciem exprobrabat Christus, Joan.,

ii, 16: *Nolite facere domum meam, domum negotiationis.*

Unus Phariseus, et alter Publicanus.

5. — Dionysius Carthusianus ait: « Pharisei « erant religiosi Judæorum, sicut nunc Monachi « Christianorum; erantque Pharisei ab aliis in « habitu, in observantibus multis, cultu religionis « distincti; propter quod dicebantur Pharisei, id « est, divisi, eratque secta eorum inter Judæos « celebris. » Idem omnino S. Bonaventura docet et superaddit, quod « Phariseus apparenter bonus « erat; Publicanus erat patenter malus, quia Publicani dicebantur exactores vectigalium publicorum. » Non solum hi omnibus erant exosi, sed insuper exigue aut nullius reputabantur esse conscientia, quia, ut Albertus Magnus ait, officia et exactiones ille, « vix aut nunquam juste exercens, « tur, semper tamen sunt cum violentia et oppressionem. » Insinuat insuper idem auctor differentiam, quæ inter hosce duos non modo, quo ad statum et apparentiam externam, sed etiam quo ad ipsam rei veritatem intercedit, in hæc verba: « Quia Phariseus per arrogantiam, suam justitiam « labefaciebat, et Publicanus per penitentiam suam « justitiam expurgabat. »

6. — Simon de Cassia sequentem super hæc verba discursum instituit: « Erant isti duo, sed « neque voluntate aut intentione coibant in unum; « alter sibi placens, alter sibi per opinia displicens; « sed sibi placens, Deo displicens factus erat; et « sibi displicens, Deo humilitate placebat. » S. Ambrosius in commentario Psalmi cxviii, *Serm. iii*, scribit, quod Salvator noster hosce duos in templo orantes, ad nostram nobis instructionem proponat, ut nimirum « doceret, etiamsi bona cætera habeat, « quod magis superbus offendat, quam humilis, « qui nulla virtutum dote subnixus est. »

7. — Glossa in sensu allegorico verba illa explanat, inquit: « Phariseus populum Judæorum « designat, qui ex justificationibus legis extollit « merita sua, et superbiendo recedit; humilitas « Publicanus Gentilem, qui longe a Deo positus « peccata confitetur, et lamentando appropinquat « Deo, et exaltatur. »

Additiones.

a. — *Duo homines ascenderunt in templum.* Inter omnia, quæ prescripsit Ecclesiastes, etiam hanc circa ingressum templorum prescribit regulam, *Eccle., iv, 17: Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei;* indicans haud dubie, non parum referre, qua ratione quis ingrediatur templum, ut cum fructu in eo moretur et inde regrediatur. Certam ergo dispositionem et virtutum comitatum requirere videtur. In ejus rei figuram templum Jerosolymitanum in edito erat loco, ut intelligeremus, ascen-

dendum nobis esse cum conatu et labore aliquo, tam corporis quam animi, cum ingredi templum volumus. Si autem hoc requisierit Ecclesiastes de templo in quo umbra tantam tractabantur et figure, quid non requiretur a Christianis, qui vero sepe astant in templis sacrificio, in quo unigenitus Dei Filius, Sacerdos est et sacrificium? quanta non requiritur mentis applicatio, devotio interior et exterior, silentium et mentis recollectio?

S. Bernardinus de modo, quo Missa audienda est, disserens, hunc ab Ecclesia insitutum considerat ritum, quo Sacerdos, priusquam canonem Missae incipiat, circumstantes ad mentes et corda ad Deum elevanda, his verbis invitat: « Sursum corda; » post quae, dum clericus omnium nomine respondit: « Habemus ad Dominum, » Sacerdos ad complendum sacrificium ulterius progreditur. Cujus ritus mysterium in haec verba exponit: « Ideo Sacerdos ante orationem, Praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda, ut, dum « respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoveatur nihil se aliud cogitare debere quam « Dominum. » Observandum vero est, quod Sacerdos absoluta Praefatione subito silentium servet et orationes in secreto dicere incipiat, ut tempore approximatis sacrificii et circumstantibus non intelligantur. Sicut enim Redemptor noster passione sua appropinquante, juxta desertum in civitatem Ephrem se subduxit, seque in publico videri non permisit, ita quoque cum Missa passionis et mortis Christi sit representativa, videtur, quod ad imitationem illius, appropinquante consecrationis tempore, similiter nos, in nobismetipsis et mentem nostram recolligere et in solitudinem quasi revocare debeamus.

b. — Moraliter si consideretur hoc quod dicitur: *Duo homines*, tunc bene dicitur, quod homo nomen habet magnitudinis, ac excellentiae praesertim; tamen si eos consideres, unum invenies Pharisaeum, alterum Publicanum. Pharisaeum quidem hypocritam, ac propterea coram Deo abominabilem; nullum enim vitium ab incarnata Sapientia in universo historiae Evangelicae volumine, adeo frequenter reprehenditur et arguitur, quam hypocrisis vitium. In solo capite xxiii, S. Matthaei, Christus Scribas ac Pharisaeos, hac lepra contaminatos, non semel, sed octies acriter reprehendit, iisque per verbum hoc *Vae*, sempernarum arumnarum expressivum aeternam comminatur damnationem. In S. Lucas, cap. xii, legitur quod Christus discipulos suos, qui universum mundum docturi, suaeque Ecclesiae bases futuri erant, instruere volens, specialiter eosdem de hypocrisi facienda commonevit, ita tamen ut haec illis doctrinam non in privato tradiderit, sed eam praestolatus fuerit occasionem in qua ingens populi multitudo congregata, eandem audire posset, ut haec ratione unicuique constaret, quam illa sit abo-

minabilis, omnesque ad eam detestandam inducerentur; dicit enim Evangelista: *Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem concuculant, coepit dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento Pharisaeorum quod est hypocrisis.* Alter autem Publicanus erat, reputatus peccator, sed humilitate sua Deum appropinquavit et quasi ad se traxit, quod est insignis humilitatis effectus. Quando Deus apud Isaiaem, lxxvi, 2, inquit: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperem?* per pauperem, humilem intelligit, prima namque beatitudo: *Beati pauperes spiritu*, ad pauperes ordinatur. Unde et S. Augustinus super illa Psalmi cxxxvii, 6, verba: *Ezeus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit*, inquit: « *Alta posuit pro superbia; humilia vero respicit ut attollat, superba cognoscit, ut « ejiciat; discamus humilitatem per quam Deo pro- « pinguare poterimus.* » Paulo post vero idem S. Doctor subjungit: « *Quicumque humilis et quietus « non fuerit, non potest in eo habitare gratia Spi- « ritus Sancti.* » Quidam aliud, praeter humilitatem, Deum e caelo in terram atrahere potuit, ut nostrae se naturae copularet, nosque unum secum efficeret? *Respexit humilitatem ancillae suae*, inquit beatissima Virgo; quae eadem vix verba haec protulerat: *Ecce ancilla domini; fort mihi secundum verbum tuum*, cum ecce Filius Dei se nostrae humanitati univit: *Et Verbum caro factum est.* Unde Richardus a S. Laurentio inquit: « *Cupiens Filium « procreare, qui servus noster fieret, ideo se nomi- « navit ancillam, quia partus ventrem sequitur; « quod etiam innuit Filius Patri dicens: Servus « tuus sum ego et filius ancillae tuae.* »

c. — Duo homines ascenderunt, ambo pietatis studium praeseferentes, longe tamen mente dispares erant. Et ideo Publicanus, utpote charitate et rectitudine cordis instructus, exauditus fuit; alter Pharisaeus, cujus quidem cor cum verbis minime concordabat, non exauditus fuit. Deus enim primo omnium loco rectitudinem cordis in operibus nostris requirit; siquidem opera nostra, quantumvis extrinsecus bona sint, sine hac inutilia sunt et mortua. Hypocrita est corpus sine spiritu, quia habet opera sine charitate. Assimilantur quoque hypocritae sepulchris forinsecus dealbatis, quae intus mortuorum plena sunt ossibus: *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, quia similes estis sepulchris dealbatis, quae a foris parent hoxinibus speciosas, intus vero plena sunt ossibus mortuorum.* Ahulensis de motivis ob quae hypocritae sepulchris assimilantur, diffuse discurrens, inquit: « *Corpus mortuum similitudinem nem quidem habet humanam, sed homo non « est; ita hypocritae videntur quidem justi, sed « justitiam nullam habent. Qui autem vere boni « sunt, sunt sicut corpora viventia, quia illa similitudinem habent humanam et vere sunt homines, « quia vitam habent et animam.* »

d. — Pharisaeus et Publicanus ascenderunt in templum ut orarent; Publicanus tamen solus exauditus est, Pharisaeus vero non exauditus, quia charitate deficiebat, sine qua nullum opus Deo placere potest. S. Paulus Apostolus, I Cor., xiii, 3, sic ait: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde S. Bernardinus Senensis, inquit: « *Charitatem si non habueris nihil sum; id est, ad meritum nihil mihi « prodest, ac si nihil esset.* » Quod itidem Idiota confirmat, dum ait: « *Ubi amor defuerit, nihil « valet quicquid agit, omnia valent quae cum « amore aguntur.* » Et alio in loco, dum ad illum Psalmistae textum, *Psal. cxxlv, 20, sese reflectit* quod dicitur: *Custodit Dominus omnes diligentes se:* « *Non « sic de alia virtute; quia tu, si quis sine dilectione « aliquid faciat, non sic presto es ei, nec assistis « ad adjuvandum. Dilectio vera in se reddit homi- « nem invincibilem; cum enim ab omni parte pro- « tegit et defendit, quod nulla facit alia virtus, sed « ex una parte tantum. Abstinencia a gula tantum « defendit; pudicitia a luxuria et ita de aliis; imo « alia virtus sine dilectione ex una parte defendit, « et ex altera succumbit; dum scilicet de ejus actu « et opere oritur jaetantia et nascitur vana gloria, « ut patet in elemosyna et jejunio, quae nihil « valent, nisi huius dilectione directa sint; et ideo « diabolus hanc armaturam dilectionis invadere « summopere studet, nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet, quia ipse in carne « non premitur, ut in luxuria dissolvatur.* »

e. — Nec erat aliud amborum horum negotium, quam ut orarent; debemus enim intrare in Ecclesiam ad orandum, ut notant D. Bonaventura, Carthusianus et alii. Ipse enim Salvator ait: *Domus mea domus orationis est.* Non enim est intrandum ad Ecclesiam ad fabulandum, ad aspiciendum. Merito ergo perstringuntur ii qui ad Ecclesiam se recipiunt, ut cordis sui carnalia desideria foveant, quique per incautos obtutus aliosque actus impuros easdem profanant. Angeli qui Creatoris sui scabelli et sedis loco servire debebant: *Qui sedes super Cherubim, thronum suum pari in culmine, quo Dei thronus collocatus est, elevare studuerunt: Similis ero Altissimo;* atque ideo in infernalis abyssus profundum precipitati fuerunt. Similis porro finis est multorum Christianorum, qui cum obligati sint, ut in Ecclesia devote genuflectant, iisque reverentem et profundum cultum exhibeant, honorem Deo debitum sibi potius usurpant, illecebrosisque et impuris objectis in Ecclesia praesentibus impendunt. Quot enim sunt mulieres, quae ad Ecclesiam accedunt, non tam ut Deum debite honorent, quam ut in eis honorentur, ne dicam, adorentur. Origenes ait: « *Vae vobis qui ridetis nunc quoniam plangetis « et flebitis. Inter templum et altare ab impiis « memoria interficitur Dei, quando et templum*

« *Dei a lascivis corrumpitur et altare ipsius, per « negligentiam orationum, sorditate coquina- « tur, quando et oratio aliquis filii in peccatum « ipsius.* »

f. — Voluit Deus nobis esse vicinis, domumque suam inter nostras collocare, ut necessitatibus oppressi, domum illius nosceremus et quo nobis esset recurrendum. Unde proprie templum dicitur esse domus, ubi Deus habitat; quocirca, locus omni reverentia dignus, atque ex praesentia Angelorum terribilis. Ubi enim rex est, ibi et curia. Nota utique vobis est illa in Genesi, xxviii, 16, Jacobo Patriarchae exhibita visio quae seriam meretur ponderationem. Dicit enim S. Patriarcha: *Veni Dominus est in loco isto; non est hic aliud, nisi domus Dei et porta Caeli.* Quam veraciter autem haec propositio a Jacob prolata fuerit, Rupertus Abbas illius quoque rationem reddens, his verbis declarat: « *In omni « loco ubi invocatur nomen Domini, veraciter hoc « protestatur Ecclesia; ubi enim sanctum celebra- « tur Baptisterium, ubi sacrosanctum corporis et « sanguinis Christi conficitur Sacramentum, ubi « fideles animae renascuntur, et Angelorum ascen- « dentium, et descendentium manibus orationes « feruntur in Caelum, quid nisi porta Caeli et infer- « nalibus portis terribilis locus? » S. Bernardus, *Serm. iv de hedic. Eccles.*, sic ait: « *Nemo jam « nesciat, nemo vestrum ignoret siquidem non « accipimus spiritum mundi hujus, sed spiritum « qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo data sunt « nobis. Terribilis plane locus et dignus omni « reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem « Angeli sancti frequentant, quem sua quoque « praesentia Dominus ipse dignatur. Ibi vere Domi- « nus est, ubi in ejus nomine Angeli simul et « homines congregantur. » Paulo post vero idem mellifluus Doctor modum exponit, quo nobis Dei in Ecclesia praesentiam et assistentiam promittere valeamus. Dicit enim: In hoc loco isto, vere Dominus est, si tamen serviamus ei in spiritu et veritate; non vere Dominus erat apud eos quibus dicebat: *Quid vocatis me Domine, Domine, et non facitis quae dico?***

g. — Persuadebant sibi Pharisaei, quod Deum suis orationibus sibi haberent quasi devinctum. Sed e contrario Deus eos excrebatur, utpote superbos. Primum igitur omnium oratio, ut gratias et dona Dei impetret, postulat humilitatem; humiles enim ad recipiendas gratias et dona Dei capaces sunt et magis dispositi. Spiritus veritatis per os Ecclesiastici, xxxv, 21, nobis promittit quia: *Oratio humilitatis se rubes penetrabit.* Quamvis enim Filius Dei ad dexteram excelsi residet. Patris, in majestate et eminentia infinita, nihilominus quanto magis in humilitatis nostrae centrum, nos ipsos demersimus, tanto magis nostrae apud Altissimum exaudiantur preces. Ideoque Hugo Cardinalis ait: « *Ora-*

« tio non omnium, sed humilium, nubes penetra-
« hit. » Chananea, ut omnes novimus, animam
designat orantem; ejus preces admirans Albertus
Magnus verbum *clamavit*, sequenti illustrat com-
mentario : « Non tam alta voce oris, quam magna
« cordis devotione. » Primo itaque benignissimus
Salvator, licet miracula sua liberaliter multiplicaret
circa omnes, preces ejus quasi surdaster sprevit :
Qui non respondit ei verbum. Permoti itaque Apo-
stoli pro supplicante intercesserunt, sed et ipsi
repulsam tulere apud Dominum dicentem : *Non
sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.*
Cumque illa nihilominus instaret, iterum respondit
Dominus : *Non est bonum sumere panem filiorum et
mittere canibus.* Quod cum audiret supplex, mox
subjecti, dicens : *Etiam, Domine, nam et catelli edunt
de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum;*
et ecce subsignatum mox supplicem, abundantius
quam petisset, respondente Domino : *O mulier fiat
tibi sicut vis; magna est fides tua. Et sonata est filia
ejus ex illa hora.* Ubi vocabulum, *tunc*, noletis velim,
utpote relationem ad præcedentia verba habens;
quasi S. Mathæus inferre voluisset orationem, ejus
exauditam fuisse, quando se humilis cani assimila-
vit. Unde et D. Chrysostomus ait : « Ex hac humi-
« litate, ex abjecta conditione canum, filia facta
« est. » S. Bernardus in præsentem exemplum desumit
a mendicis dicens, *Serm. iv de Arn.* : « Aliter
« et sapientius mendici, quam nos, misericordiam
« implorant, nam elemosynam petentes, non pre-
« tiosas vestes ostentant, sed seminuda membra,
« atque ulcera. »

VERSUS 11.

*Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias
ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum,
raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publi-
canus.*

Pharisæus stans.

1. — Lucas Brugensis litteralem horum verbo-
rum sensum sequitur, dicitque in antiquo templo
Jerusolymitano moris fuisse, ut homines stantes
orarent : « In illo templo veteri fere moris erat
« stare; nam quamquam nunc in genua, nunc
« etiam in faciem proclineretur, tamen quia non
« poterat id esse continuum, quamdiu Religionis
« officia durarent, stabatur fere a viris, cum com-
« moditas sedendi nulla esset. » Soli Regi et
summo Pontifici intra templum sedes ponebatur.
Nihilominus idem Auctor denique, juxta commu-
nem Expositorum opinionem, a sensu litterali ad
spirituale transiens, concludit, Christum hisce
verbis superbiam Pharisæi insinuare voluisse; unde
ait : « Cæterum fieri potest, ut hic noletur Pharisæi
« arrogantie. » Idem documentum affert Lyranus :
« Stans; ecce jactantia, quia stabat, ut ab aliis

« videretur orare. » Albertus Magnus inquit :
« *Stans orabat*, cum procumbens et pronus debuis-
« set orare. » Eadem est sententia Cardinalis Hugo,
dicentis : « Ipse situs corporis exprimit elationem
« mentis, id est, superbiam. » Salmeron idem
dogma sed expressioribus verbis adducit, dum in-
quit : « Stabat plus mente elatus, quam corpore;
« currit impius erecto collo contra Deum. » Imo
juxta opinionem Basili Seleuci, *Orat. xxxv*, tanta
fuit hujus Pharisæi superbia, ut crederet, se
capite cælum contingere : « In nubes se raptum
« iri propemodum sperabat, ut in cælo cum Deo
« colloqueretur. » Eandem penitus atque explici-
tam horum verborum interpretationem facit Theo-
phylactus, dum ait : « Ostendit autem Dominus,
« ut per stationem, superbiam ejus et humilitatis
« inopiam cognoscamus, humilis enim viri est, et
« aspectu humiliari, hic antem et habitu et gestu
« superbus agnoscitur. » Bene equidem pariter de
Publicano dicitur : *Stans autem Publicanus*; sed
propter ea, quæ sequuntur verba, scilicet : *Nec
audebat oculos ad cælum levare.* Ex quibus verbis
idem auctor sequens deducit documentum : « Sta-
« tio ejus, » nempe Publicani, « incurrata erat, »
hujus vero, scilicet Pharisæi, « extento collo. »

Hæc apud se orabat.

2. — Venerabilis Beda curiose contemplando
animalia illa, quæ nobis in Ezechiele repræsentan-
tur, plena oculis ex omni circumquaque parte,
mysterium illud ad sequentem traducit moralita-
tem : « Corpora quippe animalium idcirco plena
« oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab
« omni parte circumspæcta est, bona desiderabiliter
« providens, mala solerter cavens; sed nos, sæpe
« dum aliis rebus intendimus, fit ut alia negligamus;
« et ubi negligimus, ibi procul dubio oculum
« non habemus. » Moxque exemplum subjungit
Pharisæi, inquit : « Ecce Pharisæus ad exhiben-
« dam abstinentiam, ad impendendam misericor-
« diam, ad referendas Deo gratias, oculum habere
« rat; sed ad humilitatis custodiam non habebat, et
« quid prodest, quod contra hostium insidias pene
« tota civitas caute custoditur, si unum foramen
« apertum relinquitur, ubi ab hostibus intretur? »
Non reprehenditur Pharisæus, quod Ecclesiam fre-
quentarit, quod orationibus, elemosynis ad jeju-
niis vacet, neque quod Deo gratias agat, sed quia
in his et similibus inaniter et jactabunde sibi com-
placuit; hoc namque agendi modo, omnia sua irri-
tavit merita et exosa Deo reddidit opera. Apposita
ad intentum nostrum Oplatus Mil. dicit : « Meliora
« sunt peccata cum humilitate, quam innocentia
« cum superbia. »

3. — Hugo Cardinalis inquit : « *Apud se*, tanquam
« sibi placens. » Adductique auctoritatem S. Grego-
rii, dicens : « Oratio hominis placens sibi non

« ascendit ad Deum. » Cujus rationem plenius
dilatât S. Basilius in hæc verba : « Cum preces ejus
« debuissent ad cælum ascendere; inanis merito-
« rum gloriatio cum deprimebat et faciebat, ut
« apud se esset. » Similitudinem porro idem Auctor
adducit, desumptam a fumo, qui dum exitum non
reperit, sursum se erigit, tectumque petit, postea
vero deorsum relapsus, circumstantium oculos
excæcat. Ita pariter *oratio humilitatis se, nubes
penetrabit.* *Ecll.*, xxxv, 21 : Superbi vero, fastiosi
et arrogantis, qualis erat hujus Pharisæi, ne qui-
dem templi tornices penetrare potest; imo non
tantum cælum non petit, sed etiam in se ipsa suffo-
cata, precatorem suum spiritualiter excæcat, ut
arrogantiam et præsumptionem suam, quæ se inaniter
supra se extollit, Deoque inimicum constituit,
non recognoscat. Chrysostomus, porro citatus in
Catena, docet, quod superbia orationem non solum
non in cælum ascendere faciat, sed etiam cælo vicin-
nam retrahat, et in abyssum præcipitet : « Hæc
« igitur fastus inflatio ab ipsis oculis potest deprimi-
« mere non caventem, humilitas vero et ab ipsa
« abysso reatum, hominem sublimare; hæc enim
« præ Pharisæo Publicanum salvabit, latronem ante
« Apostolos in Paradisum duxit. »

4. — Glossa dubium movet in præsentem, quare
scilicet reprehendatur et reprobetur Pharisæus, ob
eum, quem formavit honorum operum suorum
catalogum, cum tamen Job, idem faciendo laudatus
fuerit. Sed facilis est difficultatis solutio, si bene
consideretur, quod hyperocita Pharisæus totum hoc
fecerit sine causa, ex motu arrogantie, et sola
magni nominis sanctæque famæ consequendæ in-
tentione : « Job vero, prementibus se amicis et
« gravius incumbentibus, quam calamitas ipsa,
« dicentibusque, quod per peccata, illa sit passus,
« compulsus est enumerare sua opera, idque per
« gloriam Dei, ne scilicet homines a reo virtutum
« cursu exciderent; nam si comperissent homines,
« peccata fuisse, quæ fecerat Job, ac propter illa
« passum, cavissent ne eadem facerent, factique
« insuper fuissent osoros, inhospitales, immiserico-
« des et injusti, hæc enim erant omnia opera Job. »

5. — Negat Guilibertus Abbas, *Serm. xxxii in
Cant.*, vere orationis nomen competere illi, quam
Pharisæus insulit præcationem : « Pharisæe non
« rogas, » inquit, « sed prope astanti Publicano
« injurias irrogas. » Proinde acute advertit Jansenius,
Christum non sine mysterio dixisse : *Hæc
apud se orabat.* Quæ verba auctor ille ita explicat :
« Bene sane apud se orasse dicitur, quia non orabat
« apud Deum, qui ejus orationem non audivit nec
« approbavit. »

6. — Oratio illa Pharisæi, ut Lucas Brugensis
scribit, continebat gratiarum actionem, et ideo ex
hac parte bona reatque erat; ex alia vero parte
omnino reprehensibilis, tum quia ordinabatur ad

inane sui ipsius jactantiam, tum quia nihil pete-
bat nec supplicabat Deo, cum tamen hæc sit prin-
cipalior orationis pars, quam proinde ab aliis
Magistris spiritualibus definitur, quod sit « Petitio
« decentium a Deo. » At vero « nihil Pharisæus
« petit a Deo, non remissionem peccatorum, vel
« illorum, sine quibus hæc vita a justis non dicitur,
« non augmentum virtutum, non perseverantiam. »
Idem attingit S. Augustinus, *Serm. xxxvi de ver. Dom.*,
dicendo : « Tanquam superbus et inflatus repre-
« henditur; non quia Deo gratias agebat, sed quia
« veluti sibi nihil addi cupiebat. »

7. — Considerat Albertus Magnus, hanc a Phari-
sæo orationem, institutam fuisse, conformiter
inclinationi propriæ, et ideo ex hac parte etiam
vitiosam fuisse, docente Apostolo, ut in orando non
appetitur proprium, sed impulsus Spiritus sequamur,
Rom., vii, 26 : *Non quid oremus, secundum
quod oportet, nescimus; ipse autem Spiritus postulat
pro nobis, gemitibus inenarrabilibus;* « et ideo non
« hæc orare debuit, quæ sibi videbantur; nam et
« Paulus pro stimulo petit, *II Cor.*, xii, et non exau-
« ditus fuit. »

8. — Dionysius Carthusianus etiam Pharisæam
hujus orationis fallaciam discoperit, inquit : « Orat
simulatorie magis quam vere : Oratio enim
« est devota elevatio mentis in Deum cum impe-
« trandi affectu : atque, ut ait Gregorius, orare,
« est in compunctione amaros gemitus ex corde,
« non composita verba sonare. »

9. — Christus Dominus, *ipse sciebat, quid esset
in homine, atpote qui scrutatur renes et corda*, et
ideo sciebat de hoc Pharisæo affirmare poterat,
quod *orabat apud se*; circa quæ denique verba ita
discurrit Albertus Magnus : « Reprehenditur, quod
« apud se orabat, non apud Deum; apud se enim
« orat, qui se, et quod sibi placens est, orat. *Rom.*,
« xv, 4 : *Non debemus nobis placere;* apud Deum
« habet orationem, qui totam suam petitionem Deo
« committit. »

Deus, gratias ago tibi.

10. — Lucas Brugensis ait : « Verbis agnoscens
« Dei bona et gratiam, reipsa placet sibi in illis,
« non secus a seipso haberet, et diligentia sua
« assecutus esset. » Non solum gloriatur de bonis
operibus suis, et de sanctitate, in seipso temerarie
sumpta, sed etiam in iisdem sibi complacet : « Non
« tam Deum laudans, quam seipsum, specie gratia-
« rum actionis, ad se laudandum abutens, idque
« cum aliorum contumelia. »

11. — Querit Jansenius, quo justo motivo
reprehendatur hæc Pharisæi verba, utpote quibus
nec tantum Deo gratias agit, sed etiam attribuit
quicquid in se recognoscit boni? Ipsemet autem
Doctor respondet in hæc verba : « Non reprehendi-
« tur, quia Deo gratias egit, sed quia gratias agendo

« et male sibi placuit, et alios prae se superbe con-
« tempsit, sic enim sibi placuit, ut in sua gratia
« rum actione, suas tantum laudes commemoraret,
« et ob quasdam virtutes se justum esse confideret,
« adeo ut nihil sibi ad complementum, petendum
« putaret. »

12. — Textum illum Apostoli, *Gal.*, vi, 3 : *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit; opus autem suum probet unusquisque*, Hugo Cardinalis transfert ad discursum Evangelii hodierni, dicitque : « Duæ sunt partes justitiæ; scilicet « et declinare a malo et facere bonum; iste Pharisæus, ut perfecte justus appareat, de utraque « gratias agit; » quoad primam siquidem partem, quæ jubet fugere malum : *Declina a malo*, dicit : *Non sum ut ceteri hominum, raptores, injusti, etc.* Quoad secundam vero, quæ præcipit : *Fac bonum*, etiam ait : *Jejuno bis in Sabbato*, etc. Sed mentiebatur; nullas Deo agebat gratias, quia qui in uno offendit, factus est omnium reus. Id quod docte prosequitur Albertus Magnus hisce verbis : « Qui « penitus destitutus est, de quo gratias agit? Sicut « enim ingratus est, qui de percepto munere gra-
« tias non agit de hoc, quod nunquam percepit. » Optatus Milevitus voces : *Deus, gratias ago tibi*, ita interpretatur, quasi Pharisæus diceret : « Gratias « tibi Deus, quia nihil peccavi, et non habeo, unde « ignoscas. » Opera quidem ejus, quantum ad externam apparentiam bona erant, sed perversa animi intentio, illa omnino inutilia et prorsus culpabilia efficiebat, ita ut in presenti vere adimpleatur illud Christi monitum, *Matth.*, vii, 23 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Optime Pharisæo compellit ille *Isaia*, *Lxiv*, 6, textus, dicens : *Quasi pannus menstruatus, universæ justitiæ nostræ*; quia ubi non est charitas nec gratia Dei, etiam expirat omne meritum, nec ullum ibi opus Deo gratum aut acceptum esse potest, quia superbis nunquam datur gratia celestis. Adducit porro Dionysius Carthusianus diversas hujus pharisæicæ arrogantiae causas, inquit : « Multipliciter « laboravit superbia. Primo, quia etsi omne bonum « cognovit esse a Deo, bona tamen sua sibi a Deo « præstita aestimavit, non solum ex divina clemen-
« tia, sed etiam pro sua industria sive justitia. Se-
« cundo, quia etsi verbis gratias egit, tamen mente « ad seipsum reflectebatur, videri cupiens et lau-
« dari; imo et de sua gratiarum actione vanitatem « concepit. Tertio, quia de bonis suis super alios « insipienter se extulit. Quarto, quoniam alios « temere judicavit et sprevit. »

13. — S. Bernardus, *de grad. humilit.*, aliam subiungit hujusce malitiæ rationem, dicens : « Gra-
« tias agit, non quia bonus, sed quia solus; non
« tam de bonis, quæ habet, quam de malis, quæ in
« aliis videt. » Unde deducitur, ne minimam quidem in hoc Pharisæo fuisse charitatis scintillam;

enjus arrogantem de seipso conceptum et nimiam, de suorum meritorum honorumque operum abundantiam, presumptionem respicit illa S. Paulini, *Ep. lviij*, sententia : « Quod justitia edificabat, superbia « destruebat. » Didacus Stella sibi persuadet, Pharisæum hunc multa admisisse peccata, quæ omnia suppressit in silentio : « Celavit Pharisæus peccata, « quæ confiteri debebat; et bona, si quæ fecerat, « patefacit. Qui enim sana membra medico ostendit « et vulnera tegit, nunquam curari poterit, imo « potius quotidie pejus habebit. » Applicat denique auctor ille similitudinem hanc ad illos, qui magnam sui apud alios gestiunt comparare aestimationem et passim haberi volunt, tanquam homines justii et sancti, propter ea, quæ in publico faciunt, opera bona. Quorum proinde genium hisce verbis describit : « Postquam facta sunt, » scilicet opera bona, « illis, quos latere putant, illa referunt, ut inde ab « illis, quibus illa referunt æstimentur. »

14. — Aliud quoddam argumentum, Pharisæi hujus impietatem evincens, elicit idem auctor ex illo textu Proverbiorum, *xvii*, 17 : *Justus prior est accusator sui*; dicitque : « Justus in principio accu-
« sator est sui; et sic oportebat, ut iste faceret :
« lamen a suis laudibus incipit. »

15. — Lucas Brugensis docet Pharisæum hunc, modum, debitam dignamque laude gratiarum actionem instituendi, nimirum : « Si sincere Deo « gratias agat, cognoscens, se Dei gratia, sine « meritis suis a sceleribus, quæ passim inter ho-
« mines regnant, præservatum fuisse; et non insultet peccatori presenti, sed misereatur ejus et « conjunctim cum eo oret. » Non displiceat Deo, quod recognoscamus ea, quæ ab ipso recipimus bona, utpote qui super omnia, vitium delectabitur ingratitude, sed in eo offenditur, quod homo per collata sibi a Deo beneficia, non solum Deo placere non studeat, sed iis insuper abutatur ad offensam sui benefactoris, ad illusionem et contemptum proximi.

16. — Glossa Interlinearis talis ex prædictis deducit consequentiam; si reprehensio dignus fuit, qui cum fastu et arrogantia gratias Deo egit, quanto majorem reatum contrahet et graviorem dignus erit supplicio, qui divinam oppugnaverit gratiam? « Si reprehenditur, qui superbe gratias « agit, quid ergo ille, qui impugnat gratiam? »

Quia non sum sicut ceteri hominum.

17. — S. Bernardus, *de grad. humilit.*, ait : « Nondum de suo trabem eiecerat et festucas in « oculis fratrum enumerat. » Si namque contra hunc Pharisæum, processum formare liberet, reperiremus utique ipsum multorum reum criminum, omni vacuum merito, nullis bonis cumulatam operibus.

18. — Juxta ejusdem auctoris judicium : « Si « amittitur humilitas, virtutum congregatio non nisi

« ruina est. » In hoc autem Pharisæo ne vel unicum suberat humilitatis vestigium; cui merito culpæ excessum Lucas Brugensis exprobrat, verbis sequentibus : « Se criminibus et peccatis absolvere, « alios omnes onerare, temerarie atque arrogantis « superbiæ est. » Perpendit Cajetanus, quod quidem Pharisæus rationabiliter admodum fecerit, Deo gratias agendo, propter omnimodam a rapinis, adulteris, injustitiis, aliisque vitiiis immunitatem, « quemadmodum divinæ gratiæ munus est, quid-
« quid non delinquimus, » sed in eo turpiter aberravit, quod in superbia, tanquam unico sibi proposito fine, « respexerit ad se, relatum ad alios, « quod est officium superbiæ, quod est singulari-
« tatis tumor; ex relatione scilicet ad alios, se « præferre. » Nullum denique in hoc Pharisæo spiritum ad virtutem fuisse, patet ex eo, quod nulla sit virtus sine humilitate, sed juxta intensionem aut remissionem humilitatis, deficit aut proficit quæcumque virtus. Unde Ecclesiasticus, *iii*, 20, inquit : *Quanto major es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam.*

19. — S. Propheta Job, teste Veritate æterna, nullum sibi super terram habebat æqualem in sanctitate : *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra? Job.*, *ii*, 3. Nihilominus ipse protestabatur, *Job*, *ix*, 20, dicens : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me condemnabit; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Rationem adducit Salmefon, quare servi Dei se nominent peccatores, prout legitur de S. Francisco qui se maximum mundi peccatorem compellabat. Nimirum, « tum quia tales sunt ex natura sua, tum quia « latere potest aliquid occultum delictum. » Juxta quem discursum, inquit Lucas Brugensis : « A peccatorum numero se eximit, quando etiam ii, qui « sanctitate excellunt, agnoscere debent, multis se « adhuc peccatis esse obnoxios. »

20. — Summa perfectionis et sanctitatis non in sola mortalium, sed in omni insuper possibili, plenæ peccatorum venialium fuga consistit. Unde apertissime Salvianus, *lib. V de Pr.*, ait : « Perfectissimæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores « suos facere Salvator, jussit, ab eis castissime « etiam minima servari. » Qui mundi hujus innavigant mari, non ab Aquilonaribus solum ventis subvertuntur, sed sæpe etiam, dum in occultas rupes impingunt, naufragi fiunt : unde rogabat Psalmista, *Psal.* *xvii*, 13 : *Ab occultis meis munda me, Domine*. Sentit Chrysostomus, *Hom. lxvii in Matth.*, Pharisæum magis venialia, quam sua mortalia considerasse peccata; quia nimirum illa, scilicet mortalia, « natura sponte aversatur, hæc autem « hæc ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt; « unde ex parvis maxima fiunt, negligentia nos-
« tra. » Hic equidem Pharisæus, si verbis ejus cre-

dimus, adulteria, latrocinia et injustitias fugebat, sed alia interim spiritualia et occulta peccata minime declinabat, prout ex dicendis patebit.

21. — « Bellum sane, » inquit Basilius Seleucus, *Orat.* *xxxv*, « gratiarum actionis exordium; « mundi criminalio et judex et mortis sententiam « in omnes ferens : Non sicut ceteri. » S. Augustinus, *Serm.* *xxxvi de ver. Dom.*, querit : « Quid est, « ceteri homines, nisi omnes, præter ipsum? Ego, « inquit, justus sum, ceteri peccatores. » Idem prosequitur S. Basilius, dicens : « Deo exprobra-
« turus intonuit; non habes justum alterum in « terra, ego tibi solus virtutum thesaurus; deserta « sit a justitia terra, nisi hanc ego calcarem. » Severius omnibus hæc Pharisæi verba discutit Didacus Stella, in *Luc.*, inquit : « Expende arrogan-
« tissima verba : Non sum sicut ceteri hominum; « cum se solum bonum credit, quodammodo male « de Deo sentit, quia credit quod Deus in uno solo « divitiis possuerit et quod alio non sit bonus, nisi « sibi. » S. Bonaventura præsentem loco accommodat textum illum libri Regum, ubi Elias se in medio idololatrarum constitutum videns, lamentabatur : *Derelictus sum ego solus; cui Dominus respondit : Nequaquam; septem namque millia adhuc supererant eorum, qui non curvaverant genua ante Baal*. Ex quibus Seraphicus Doctor hujusmodi deducit consequentiam, in confusione Pharisæi : « Hic « autem cum sit in immensum Elia inferior, non « solum se dicit justum, verum etiam ceteros asse-
« rit peccatores. »

22. — Docet nos genium nostrum regius Psaltes, *Psal.* *lxi*, 10, inquit : *Mendaces filii hominum in stultis, ut decipiant*. Adjungamus nos : *Ut decipiant seipsos*. Vere namque seipsum fefellerit Pharisæus, jacitans : *Non sum sicut ceteri hominum; volensque seipsum ab humana conditione eximere; cui proinde viriliter se opponit Chrysostomus, in Psal.* *xxxix*, in hæc verba : « Quomodo sententiam « de omnibus hominibus, cum te jactas, dedisti, ut « diceres : *Quia non sum sicut ceteri homines? Si « homo es, casibus plenus es; si homo es, pugnas « cum sarcina carnis, cum voluptatibus ventris, « cum avaritiæ cupiditatibus; si homo es, sensus « tui impugnantur desideris; agnosce miser, quia « caro concupiscit adversus spiritum et spiritus « adversus carnem, hæc enim invicem sibi adver-
« santur, ut non ea, quæ vis, facias. Quomodo ergo « non es sicut ceteri homines, cum teipsum non « videas quid sis? » Verissimum status et conditionis nostræ judicium tulit Propheta Job, *v*, 18, asserens, nullum omnino hominem de sua coram Deo puritate et innocentia gloriarî posse : « Ecce qui « serviunt ei non sunt stabiles et in Angelis suis « reperit pravitatem; quanto magis hi, qui habitant « domos luteas, qui terrenum habent fundamen-
« tum, consumentur velut a timea. »*

23. — S. Bonaventura Phariseum hunc mendacii arguit, « quia dicebat se non esse peccato-rem; » adducitque illud S. Joannis, I *Epist.* 1, 8, testimonium, protestantis : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est; a falsum ergo dicebat, quia se « solum dicebat justum. »* Bene advertit S. Bernardus, Davidem, licet vir esset secundum cor Dei, nequam tamen communi humanitatis et mortalitatis nostrae conditione se majorem reputasse : « Non se excipit a communi miseria, ne excipiatur « a misericordia; Phariseus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. Propheta affirmat tam de omnibus, quam de se : *Omnis homo « mendax, Phariseus confirmat de omnibus, præter « se, non sum, iniquus, sicut ceteri hominum. »* Cital Albertus Magnus auctoritatem Aristotelis, dicentis apposite ad rem nostram : « Qui non est « sicut homines, aut aliquid melius est omni ho- « mine sicut Deus; aut aliquid vilius omni homine, « sicut bestia. » Ex quibus verbis S. Archiepiscopus hanc adversus Phariseum elicit consequentiam : « Deus iste non fuit, ergo in bestiam est conver- « sus; de hoc igitur stultus gratias agit. »

24. — Admonerat Christus Scribas et Phari- sæos, dicens, *Matth.*, vi, 1 : *Attendite, ne iustitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* hic vero in conspectu omnium et quidem apparenter tantum, bonis operibus vacabat. Iterum, præceptum noverat datum : *Cum facis elemosynam, noti tuba canere ante te, sicut hyperitæ faciunt in synagogis;* nihilominus ille non in synagogis, sed in medio templi, coram copiosa hominum multitudine, in præsentia omnium, elata voce, sua prædicabat jejunia, elemosynas, orationes et quæcumque alia bona. Longe oppositum Virgini Eustochio S. Hieronymus suasit, dicens : « Cum facis elemosynam, « Deus solus videat; cum jejunas, læta sit facies « tua; vestis nec satis munda, nec sordida, et nulla « diversitate notabilis; nec satis religiosa velis « videri, nec plus humilis quam necesse sit, ne « gloriam fugiendo quaeras. » Rationem, quare Christus apud S. Mathæum tanta cum instantia, totque multiplicatis verbis inculcare volebat Judæis, ut opera sua bona absconderent ab oculis mundi hujus, insinuat S. Bernardus, *Serm.* lxxxvi in *Cant.*, dum ait : « Ne coram orantibus laus humana ora- « tionis faretur fructum, frustretur effectum. » Mirabile videtur esse præceptum, quod Dominus dedit Moysi, *Exod.*, xxv, 18, dicens : *Duo Cherubim utrumque latus propitiatoris tegant, expandentes alas et operientes oraculum.* Ad quid hoc, cur duo Cherubim alis suis oraculum cooperient, ex auro purissimo conflatum? Respondet Olesster, quia « summus « benefactor est et nihilominus tectus; ut te doceat « benefacere et nolle videri in bonis operibus. »

Dona Dei semper occultare, nunquam propalare

dehemus, citra urgentem majoris Dei gloriæ aut boni animarum nostrarum casum. Unde S. Augustinus, in *Ps.* cii, ait : « Quando suadet necessitas « gloriæ Christi, vel ad id urget via utilitas proximi, « modo illa dona Dei agnoscat et illa humiliter « tur. » In commentario textus illius Evangelicæ, *Matth.*, xii, 44 : *Simile est regnum celorum thesauro abscondito;* acute observat S. Bernardus, Christum non dicere quomodocumque : *Simile est regnum celorum, id est, gratia divina, nam regnum Dei intra vos est, thesauro, sed insuper addere : abscondito.* Quia nimirum « necesse est abscondere interim, si « quid habemus boni. » Quibus porro idem Sanctus aliam superaddit, proposito nostro accommodatis- simam, absconsonis seu occultationis circumstantiam, dicens : « Necessaria est hæc absconsonio non « solum ante oculos aliorum, sed etiam multo ma- « gis ante teipsum. » Thesaurus, quem sibi innum- merabilium meritorum comparavit S. Paulus, testis est irrefragabilis, verissime eum dixisse, I *Cor.*, xv, 10 : *Abundantius illis omnibus laboravi;* majorem honorum operum collectam fecerat, quam omnes Apostoli simul, nihilominus tantum abest, ut vanam in iis gloriam consecraretur, quin potius omnia ea perpetue tradiderit oblivioni : *Quæ retro sunt obli- viscens.* *Phil.*, iii, 13. Quanto plus meriti nobis comparavimus, tanto vigilantius insidias inimici præcavere debemus, nam prædatores et piratæ pretiosioribus semper inhiant et insidiantur meritis. Unde S. Prosper, *Epist.* lxxxvii, ait : « Vigilant ten- « tatoris insidia, ut ubi proficili devotio, subrepat « elatio; et ut homo de bono opere in se potius « quam in Domino gloriatur. » Quapropter nos ad- monet S. Augustinus deducta similitudine a gallina, ovum enitente, ut videamus : « Ne bonis contingat, « quod gallinis, quæ, mox ut ova pepererunt, cla- « more suo dominos excitant, qui ova edita illis « auferant. »

25. — Salmeron subtilem quamdam serpentis infernalis prodit astutiam, nimirum quod « sæpe « dæmon simit opera bona et multa homini perfici- « cere, quo magis postea de illis superbient con- « fundatur. » S. Gregorius huic discursui historiam interserit Eleazari, qui elephantem quidem invasit et occidit, ipse nihilominus sub ejus bestie cedentis mole sepultus, exspiravit : « Elephantem feriens « stravit, sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit; « quos ergo iste significat, quem sua victoria op- « pressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, « quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? »

26. — Ipsemet de se Apostolus protestatur, *Phil.*, iii, 17 : *Fratres, ego me non arbitror comprehensisse, unum autem, quæ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor brevium supernæ vocationis.* Prosequitur et tandem concludit, quod omnes per- fectionis amantes idem secum sentire debeant :

Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. In hujus textus glossa, S. Augustinus doctrinam adducit, præsentis proposito nostro apprime faventem, dum ait, in *Ps.* lxxix : « Nemo dicat : sufficit, justis « sum; ubi dixerit : sufficit, ibi hæsit. » Attende Apostolum, qui non sufficit; ille currit, tu hæsitis? ille dicit se nondum comprehensisse, tu de perfec- tione gloriaris? quoties de progressu spirituali agitur, loties nos cursum spirituales incipere, nobis persuadeamus oportet, non aliter quam si hodie primum scholæ Christi pedem inferremus. Irridet proinde idem S. Doctor, alio in loco, Pharisei stultitiam, dicens : « Nihil sibi addi cupiebat; ergo jam « plenus es, jam abundas, non erit, quare dicas : « *Dimitte nobis debita nostra.* »

27. — Hugo Cardinalis animadvertit, quod Phari- sæus Publicanum sibi ob oculos posuerit, eam inter et se comparationem instituendo : « Ecce « Phariseus considerat, quæ non habet; hinc præ- « cipue oritur in nobis superbia, qua consideramus « quæ nos habemus bona et quæ alii non habent, « cum e contraria fieri deberet. » Justam profecto habemus causam humiliandi nos, dum videmus, quod Deus alios donis et gratis suis locupletet, alios non; cum tamen omnes, quotquot sumus, ex eadem compacti massa, iisdem subjiciamur miseri- riis, filii unius ejusdemque patris; et nos utique pariter cum reliquis derelicti essemus, nisi benigna et benefica Dei manus liberaliter sustineret nos. Glossa quatuor numerali superbiæ differentias : « Quatuor sunt species tumoris, cum vel quis bo- « num quod habet, a se habere æstimat; aut si « datum a Deo credit, pro meritis datum putat, « aut cum jactat se habere, quod non habet; aut « cum despectis cæteris, appetit singulariter videri « habere, quæ habet; hæc Phariseus peste labo- « rabat. » Dives avarus, ut cupiditatem suam reprimat, in eos oculorum suorum aciem deligere debet, penes quos honorum temporalium paritas et spiritualium viget abundantia; attamen ut inten- tum suum assequatur, non quolibet horum, sed eos præcipue contemplari debet, qui majorem habent virtutum, meritorum, spiritusque copiam; si igitur talis se cum antiquo, in Christi schola exer- citato comparaverit, magnum utique se peccatorem agnoscat.

28. — Eusebius Gallicanus, *Serm.* vi de *orat.*, de hoc Phariseo loquens fert iudicium : « Odibile « fecerat sacrificium orationis suæ, foetore jaetan- « tiae : » sibi nimirum per vanam gloriam attri- buendo, quod Dei donum erat. Unde S. Augustinus, in *Psal.* lxxviii, ait : « Dum coronat Deus merita « tua, non coronat nisi dona sua. » Abutebatur Phariseus sibi a Deo concessis beneficiis, ad ipsius- met Dei offensam, far sacrilegus, dum sibi appropiavit laudem et gloriam, soli Deo debitam, et proximum contempsit, quem Deus tanti facit, ut

amorem ejus, sui comparet dilectioni æqualem, dicens, *Matth.*, xxii, 39 : *Secundum simile est hinc.*

29. — Didacus Stella ostendit, quod hic Phari- sæus actum quidem orationis præ se tulerit, sed in rei veritate plus non irationis, quid faceret, quam stultus aliquis, qui elemosynam ostiatim collecturus, et collum suum aureis circumdaret monilibus et pretiosis corpus indueret vestimentis, credens, hæc sibi fore media ad majorem in proximorum animis excitandam compassionem, cum potius lace- ras debuisset induere vestes et sua manifestare vulnera : « Eodem modo nos in oratione, si volu- « mus Dei misericordiam flectere, non virtutes, ut « Phariseus hic, ostentemus, sed potius cum Publi- « cano peccata fateamur : nam quemadmodum « ægrotus, qui a medico ictus, puriore sangui- « nem emittit, et grossiorem retinens deficit; ille « vero, qui puriori retento, inutiliorem foras projici- « cit, convalescit, sic peccator, qui bona sua præ- « dicat, et mala tacet, salute caret; ille autem « vivit, qui bonis non omisit quid mali habet, « humiliter coram Deo medico sapientissimo expo- « nit. »

30. — Super hæc omnia declarat Phariseus se omni privato charitate, quandoquidem coram tanta multitudine in templo publici peccata Publi- cani propalavit, ampliavit, exaggeravit, eos distra- hendo defectus per ora vulgi, quod ipse non sciebat, et temerarium insuper formando judicium affirma- tivum, in materia gravissima, qualis est bona fama et salus animæ; judicavit namque Publicanum omni Dei gratia destitutum esse, et hominem pessimæ vitæ, non obstante veridico incarnate Sapientie testimonio : *Descendit hic justificatus in domum suam.*

31. — Salmeron plures hujus Pharisei enumerat defectus, iniquens : « Peccavit etiam in enumeran- « dis vitis et virtutibus; nec enim omnia vitia « complexus est, non enim dixit : non sum super- « bus, aut aliorum contempтор, aut proprie nitens « prudentiæ, et justitiæ. Ne omnes virtutes recen- « suit; non enim cum jejuniis et decimis, addidit : « servo humilitatem et charitatem ad proximum. »

Raptores, injusti, adulteri.

32. — « Et tamen ignorabat, » prosequitur Salmeron « quod ipse esset vere raptor, opinionem « sanctitatis furto surripiens; » id quod proprium est hypocharitarum. « Injustus etiam erat, quia alie- « num servum sine cogitatione et discussione causæ « judicabat atque damnabat. Adulter vero, quia « gloriam honorum operum, quam sibi Dominus « ut propriam vendicaverat et retinuerat, ipso « dicente : *Gloriam meam alteri non dabo, quasi « alieni thori invasor usurpat.* »

Velut etiam hic Publicanus.

33. — Didacus Stella tantam Pharisæi detestatur injustitiam et impietatem verbis sequentibus: « Proximam non auditum prius, nullis testibus, nullis iudiciis temere damnabat, digitoque ostendens Publicanum trahebat in exemplum accusationis sue, in quo istius perspicue cernitur impietas, quia non modo se iactabat, sed etiam alios vituperabat. » Ponderat Jansenius, Pharisæum non modo inique egisse, quia omnes desepxit homines, et quibuslibet in genere se pretulit peccatoribus, sed etiam, et vel maxime, quia in individuo diffamavit Publicanum, qui cum eo ascenderat, oraturus in templo. « Condemnans cum, » inquit Jansenius, « cuius cor non novit; imo in quo penitentia et correctionis signa advertere potuisset, quia vidit templum Dei ingredientem, externisque genibus penitentiam preferentem, ut ob id merito non solum a condemnatione ejus abstineret, sed et provocari ad spem correctionis ipsius, et communem pro ejus correctionis, et Dei indulgentia precepcionem. » Considerat Lucas Bruggensis, quod quidem Publicanus omnibus notus erat ratione officii sui; unde credi poterat promissive, Publicanum iisdem insorduisse vitiiis, quibus id hominum genus conspurcari solet; « tamen cum in templo orantem et religionis officio vacantem inspiceret, sperare debebat ejus emendationem. »

34. — S. Bonaventura mentem, quam in hisce verbis Publicanus habuit, explicat sequentibus: « Quod non dicit, Publicano compatiendo, sed potius despiciendo et irridendo. »

35. — Salmeron denique ostendit, Pharisæum calumniosa et contumeliosa lingua sua omnes ferisse absentes: *Non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri;* a quibus postea ad præsentem Publicanum contumeliosus graditur: « Non contentus cæteros traducere absentes, etiam in præsentem injurias esse voluit, illumque aculeo lingue sue vulneravit: imprudenter iudicabat de Publicano, cum recte de illo sentire deberet; præsertim cum ad deprecandam divinam misericordiam in templum venisset; erat etiam bene de illo cogitandi causa, eo quod longe esset, et verecunde vultu, et percutiendo peccus, preces ad Deum effunderet. » Eandem cum S. Bonaventura sententiam nobis scriptam reliquit Cajetanus dicens: « Præsertim de Publicano, religionis officio vacanti, et hoc despectivo, dicendo: *Hic Publicanus.* »

Additiones.

a. — *Pharisæus stans hæc apud se orabat,* etc. Stans dicitur hic Pharisæus, ut fastum denotet pharisaicum, quod vultum erigeret in cælum, quasi

cum Deo disputaturus, vel rationem meritorum suorum innuturus et exacturus. Nam humilis veri est etiam aspectu humiliari, hic autem et habitu, et gestu, et ore superbus agnoscitur, ideo ait: *Gratias ago.* Verum enimvero, tametsi Pharisæus hic merito Christi Dei censura culpatur, et inde omnium reprehensionem incurrit, non tamen ejus crimen facile apparet. Pharisæus erat stans, similiter Publicanus orat; deinde Pharisæus sua allegat merita, quæ falso allegata fuisse, non legitur. Publicanus autem quid istiusmodi posset allegare? Præterea, quid culpe apparet quod dum in templum ascendit orare, gratias Deo agat? Num oliatur oratio in gratiarum actione sedulo negotiosa? Demum apud se orat, non ad se. An non licet ore tacito, in mentis solitudine, et silentio Deum orare, præsertim cum interior, orantis solitudo maxime commendatur? Verum dum videmur Pharisæum excusare, fastum et summam superbiam in oratione accusamus; qua supra re sic discerit D. Basilii Selenus, *Orat.* xxxv: « Bellum sane, » ait, « gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, et iudex, et mortis sententiam in omnes ferens. » *Non sum sicut ceteri.* O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, et omnes partis alicujus, et reliquiarum nomine habet. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri.* Deo approbaturus intonuit: *Non habes justum alterum in terra; ego tibi solus virtutum thesaurus; deserta sit a justitia terra nisi hanc ego calcarem.* In exordio Pharisæus gratitudinis virtutem ostentat, et tamen sub illius pretextu, bellum et criminationem subinfert; nec solum tyrannica lingua homines criminatur, sed etiam ipsum Deum omnium facit auctorem, quasi omnes a virtutibus expulset, ut omnes virtutes in se uno collocaret. Et hæc superbiæ natura est, et supra alios, et super Deum sese erigere. « Superbia nominatur ex hoc, » ait Doctor Angelicus, II, II, q. 162, art. 1, « quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod est; unde dicit Isidorus in libro *Etymologiarum*: « Superbus dictus est, quia super vult videri, quam est. Qui enim vult subgredi quod est, superbus est; habet enim hoc ratio recta, ut voluntas unius ejusque feratur in id, quod est proportionatum sibi. Et ideo manifestum est, quod superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ. » Quid est homo nisi panxillum terræ et lutii, *putredo et vermis?* Quid igitur indecentius, quam quod præterdant se super omnes alios efferre, simulque rebellis existat supremæ illi Majestati: « *Quam adorant Dominiones, tremunt Potestates.* » *Quid superbis terra et civis?* *Eccli.* x, 9. Quæ major excogitari potest præsumptio temeraria, quam quod superbiat pulvis et cinis? Pessimum signum est quando in corpore humano, præter consuetudinem apparet aliquis tumor: « Est superbia, non magnitudo, sed tumor, » ait S. Augustinus; « quod

autem tumor videtur magnum sed non sanum. » Eodem modo discurrere possumus de eo qui intumescit, seu corde tumidus est, ac de se multum præsumit; est nimirum indicium malignitatis et malæ dispositionis, quod appetitus suos non habeat sedatos, siquæ anima infirmus.

b. — Reprobis Pharisæi animus, arroganter elatus ipso etiam corporis habitu superbiam spirat, et ideo *apud se orabat*, quasi non apud Deum, quia per superbum elationis supercilium, ad seipsum redibat, tanquam vel Deum supplicare dignatus; quin et impuginare videtur gratiam quam non expetit. Imo seipso plenus, charitate vacuus inventus et sceleribus atque injuriis opulentus, dum lingua maledica, qua propria debuisset inculcare crimina, alios injustitiam, alios rapacitatis, alios adulterii sua oratione insinulat. O Pharisæe, idcirco in templum ascendis, ut in eo, quasi in religionis sacro Deum ores; an ut oratione tua, tuæ vitiositatis sententiam exponas? Quæ est hæc tua in templo oratio? Respondet, sed non sine felle, Salvianus Massiensis, *lib. III de Gubern. Dei*: « Novi monstri genus est, eadem pene homines faciunt, quæ fecisse se plangunt; et qui intrant ecclesiasticam domum, Dei templum, ut mala antiqua deliant, exent; et quid dico exent? In ipsis pene hoc orationibus suis et supplicationibus moluntur; aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt; et dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur, ac sic oratio eorum rixa est, magis criminum quam exoratrix, ut vere in eis illa maledictio compleatur, ut de oratione ipsa exeat condemnati, et oratio eorum fiat in peccatum. » Itane Pharisæi oratio pene scelerum meditatio, et tumultuosus vitiorum rixa est, quia superba erat? Superbia enim cunctorum aliorum vitiorum et peccatorum origo est, et eorum annexam habet congeriem. *Initium omnis peccati est superbia,* ait Ecclesiasticus, x, 15. Dubium movet D. Angelicus: « Utrum superbia sit primum omnium peccatorum? » Et respondet affirmative, inherens auctoritati præfati textus, subditque hanc conclusionem: « Superbia per quam maxime a Deo avertimur, est primum et principium omnium peccatorum. » Ratio quam assignat hæc est: « Dicendum quod illud quod est per se, est primum in quolibet genere. Dicitur enim autem, quod aversio a Deo quæ formaliter complet rationem peccati pertinet ad superbiam per se, ad alia autem peccata ex consequenti; et inde est, quod superbia habeat rationem primi, et etiam principii omnium peccatorum. » Nullum dari potest peccatum quod non includat contemptum Dei, divinarumque legum. Unde docet S. Augustinus: « Omnium peccatorum initium et finis, » loquitur de superbia, « quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit, aut potest sine

superbia; siquidem nihil aliud omne peccatum est, nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta contemnimus; et hoc nulla res alia persuadet homini, nisi superbia. » Docet nos S. Bonaventura in quo superbia opponatur Deo. « In hoc, » ait, « contrariatur Deo, quia cum omnia subiecta sint ei, ipsa vult se sui juris, et spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantum in se est. » Alio in loco idem Seraphicus Doctor cum distinctione declarat quomodo superbia sit principium omnis peccati: « Superbia dicitur initium omnis peccati, triplici ratione. Primo, propter causam quæ invenitur in omni peccato, quia in omni peccato invenitur contemptus Dei, quod est quedam causa peccati; iste autem contemptus est aversio a Creatore, qui in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile, non incommutabile, quia sicut sine charitate alie virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil sunt. » Secunda ratio quam adducit, est: « Quia primum peccatum fuit, hoc enim genere peccavit diabolus in Cælo, et homo in Paradiso. » Tertia ratio: « Quia ex ea nascuntur alia vitia secundum prius et posterius. » Abulensis ubi tractat de malignitate hujus vitii asserit peccatores divinarum legum transgressores non nisi uno moveri passu: « Mali ab uno capite movent passus suos, scilicet a superbia. »

c. — Esto Pharisæus hæc verba vere dixerit: *Quia non sum sicut ceteri homines,* reliquosque sue ætatis homines virtute superaverit, tamen dum vanæ gloriæ reus invenitur, laudatus in se virtutes damnat; et numerosa hæctenus virtutum prærogativa, defectu humilitatis abrogatur. Nam, « sicut hedera, » ait S. Nilus, *Orat. viii ado. villa,* « sic arborem complectitur, ut cum altius sese sustulerit, radicem ejus arefaciat; inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquam vim illarum excederit. » Qui enim ob vanam gloriam operatur, veræ gloriæ facit jacturam, et sine omni fructu laborat. Time ergo, o Pharisæe, plus donorum spiritualium habere, quam habent alii, nisi humilitate quoque alios excellas; nisi enim in hac excellas, quod in aliis virtutibus, donis, gratis singulariter præcellis non parva est jactura virtutis. Ecclesiastæ sententia est: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid amplius habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Ac si diceret: *Omnia perdit, cuncta secum tollit et rapit ventus vanæ gloriæ. Laborare sub sole,* idem est ac laborare in vinea Dei, ita tamen, ut habeat laudem et applausum mundi; et ac hoc est recipere hic mercedem suam: et quæ hujus utilitas? Magna profecto dementia est, quod rationalis creatura, ad eternam creatam gloriam, in præsentis vita sudet, incessanter labore, ob mundi gloriam, non modo vanam, sed etiam transitoriam et fallacem, idque ex inimici